

EMBLEMA LXXXVI  
FLUUNT, ET REFLUUNT.



Dat Neptunus aquas, remeantes accipit ipsas:  
Numquam dona premunt, urna dat, urna capit.  
Non sit Avara Manus Regis, sed munera fundat;  
Altera nam capiet, quæ dedit una Manus.

## COMMENTARIUS.

**B**eneficiales in suos, esse Principes oportere, nec eorum liberalitatem angustis terminis circumscribi, quos decet sine fine laudari, rectè Cassiodorus (a) admonuit. Et alii passim Auctores ad eisdem liberalitatem (etiam cum excessu) commendant, ut hanc virtutem potissimam ipsorum dotem, proprièque, ac verè Regiam appellent. De qua tamen, cum jam supra (b) aliqua dixerimus, & plura congerere velle, ubi suppetunt tanta superflua, eò dumtaxat nunc nostrum sermonem intendimus, ut illis magis ac magis suadeamus, ut se in tributis moderandis, atque etiam, ubi res tulerit, dimittendis, subjectisque sibi populis, omnibus quibus possint modis, juvandis, & confovendis, largiter habeant, & in suum animum inducant, illud amplius propriis utilitatibus applicari, quod hac in parte misericordie humanitate concesserint.

2 Et auream illam Justiniani Imperatoris Novellam (c) oraculi loco memoriæ conscribant, qua signanter edixit: *Principi aurum contemnere præstat Fortune fastigium, & licet ipsum, divinis effigandum typis, Bonitas, Prudentia, Potestas deceant; ultra has duas Bonitas sit. Bene velit ultra quam sit, ultra quam potest, ipsam Potentiam, & omnes Regias dotes misericordia supergressus.*

3 Quibus verbis similia sunt illa, Dionis Chrysostomus (d), sic loquens: *Regnare se putat, non sui viuis magis, quam omnium hominum gratia: hinc est, quod beneficia conferens, magis letatur, quam quibus collata sunt, & unius hujus voluptatis est insatiabilis. Nam cetera quidem Regni officia existimat necessaria, unum verò Beneficentia facinus, esse voluntarium & felix.*

4 Et meritò Felix, cum, Cicerone (e) teste, qui liberalitate utuntur, benevolentiam sibi concilient, & quod aptissimum est ad quietem vivendum, caritatem. Meliusque, ex sententia Senecæ (f) Beneficentia imperium custodiatur, quam armis, sintque hæc dona Principum, ut etiam Demosthenes (g) dixit, *Servitutis subditorum auctoramenta; decumanumque fœnus, quod in eosdem ipsos cumulatisimè refert, quicquid in suos plena, & benigna manu disseminarint.*

Quod

(a) Cassiod. lib. 2. epist. 30.

(b) Supr. Embl. 78.

(c) Justin. Novell. collat. 4.

(d) Dio Chrysost. in orat. 1. de Regn.

(e) Cicero. 2. de finib.

(f) Senec. &amp; alii apud Me supr. Embl. 78. pag. 658.

(g) Demosthenes.

5 Quod Publius Syrus (h) bene agnovit, dum dixit:

*Beneficium sæpè dare, docere est reddere.*

Et Planudes (i) inquit: *Beneficere plenum est bonarum expectationum; nec sequius Gabriel Pachymerus (k), ob eandem considerationem, Beneficentiam, inexhaustam opulentiam appellans; & Theodoricus Rex apud Cassiodorum (l), dum dixit: Quis nesciat nostrum esse Commodum supplicantis acquestum? & illud Bonis Principibus crescere, quod benigna possunt largitate præstare? Optamus ergo munera multis collata dividere, ut possint ubique nostra beneficia pullulare. Et idem ipsum documentum premens Themistius apud Stobæum (m): Vir (inquit) bonus, qui gentis alicujus, aut civitatis Imperium suscipit; non propter fiscum, & dona capiendi, aut à ditibus comparandi causa, similis est homini, qui pretiosum aliquid depositum accepit. Nam ut hic, quod datur non retinendi, aut sibi vindicandi, gratia sumit, sed ut custodiat, & integrum reddat ei, qui deposuit, quancumque repetierit: ita Principem quoque, non ob questum privatum, sed ob salutem custodiamque subditorum omnia facere oportet, ut ipsos, quoad efficere potest, illesos, & in felici statu ei, qui credidit, restituat.*

6 Sed nullus adhuc melius hoc, & luculentius, quam Latinus Pacatus (n) edocuit; qui postquam dixit, nullam causam aliena concupiscendi, in Principibus excusabilem esse, cum quantum ubique et habeant, sic subjungit: *Quin ego, si fas piumque mortalibus estimare celestia, nullam majorem crediderim esse Principum felicitatem, quam fecisse felicem, & intercessisse inopie, & fortunam vicisse, & dedisse homini novum fatum. Itaque Imperatori propriam Majestatem estimanti, non tam id suum videri debet, quod abstulit, quam quod dedit. Nam cum intra ipsum volvantur omnia, & ut ille, qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit è terris: ita quicquid in civis manat à Principe, redundat in Principem. Et rei, & Fame bene consulti magnificus Imperator: lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reversuram.*

7 Qui sanè locus illum Ecclesiastes (o) respicit: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur. Quod non ineleganter Arias Montanus sic extulit.*

*Flumina cuncta mare extensum, camposque liquentes,  
Unde exorta prius, repetunt, laticesque reponunt.*

8 Et ansam mihi præbuit præsentis Emblematis effigiendi: quod etiam sola ipsius relatione satis illustrari videtur, nisi mavis cum aliis illud etiam aliud simile addere, ex terra deductum, quæ vapores, quos nubibus præstat, largiori imbre ab eisdem restitutos, imbibit, aut lucernæ, quæ etiam si aliis suum lumen impertiat, nihil ex proprio dimittit. Quo symbolo, post Ennium, novissimè in rem nostram noster Saavedra (p) Reges ad munera, & honores in suos distribuendos accendit, adjiciens: *Que los manantales naturales siempre dan, i siempre tienen que dar, i que es inexhausto el dote del honor en los Principes, por mas liberales que sean. Sic vel ipsis elementis, hæc, prima veluti elementa bene moratorum Regum esse debere, suo exemplo docentibus.*

9 In quæ tendunt etiam carmina Guntheri (q), sic sub persona Imperatoris Friderici I. loquentis,

*Quò mihi divitias? Cuiqueque potissima Reges,  
Ac Populi crebris non cessant mittere donis.  
Semper habet veteres, semper videt aula recentes  
Undique legatos, & ab omni Principe missos;  
Semper ab ignotis veniunt nova munera terris.  
Munera magnorum leta, atque ultronea Regum,  
Ut dans plus gaudeat accipiente, &c.*

10 Et Cleomenis, ac Ptolemæi Ægyptiorum Regum exemplum, qui, ut ait Alexander ab Alexandro (r), ad eò benefici erga suos populos extiterunt, ut inde sibi Beneficorum nomen comparaverint, Evergetesque ab hac virtute (quod idem valet) dici meruerint. Parem quoque laudem ob Tributorum moderationem, aut remissionem Cyrus, Darius, Alexander Magnus, Mithridates, Periander, Vitellius, Titus, Antonius, & alii plures Reges acquisierunt, quorum longum Catalogum Beyerlinchius (s) exhibuit. Necnon & aliorum, qui eximia liberalitate subditos sibi populos largo comæatu, re frumentaria, missilibus, congiariis, variisque aliis donis, & muneribus refecerunt, & devinxerunt, ex quibus sæpè, ut Seneca (t) ait, tantum homines ferre solebant, quantum in capita promissum esset.

Vvv 2

In-

(h) Syrus in Mimis. Philozoph.

(i) Planud. in dict.

(k) Pachym. 4. histor.

(l) Cassiod. lib. 3. epist. 29.

(m) Themist. apud Stobi. serm. 46.

(n) Latin. Pacat. in Panegy. ad Theodos.

(o) Eccles. 1. 7.

(p) Saaved. symb. 58. ex pag. 425. vide etiam idem symb. 40. ex pag. 266. sub lemmate, Quæ tribuunt, tribuit

(q) Gunther. in Ligur. lib. 3. pag. 81.

(r) Alex. 2. gen. cap. 11.

(s) Beyerl. in Theat. verb. Tributum, pag. 214. &amp; verb.

Liberalitas, pag. 84. 121. 126. 129. &amp; lit. C. pag. 482.

(t) Senec.

11 Inter quos Adrianus Imperator ita excellit, ut ei à Populo Romano ob hanc causam Numismata cuderentur, in quibus una ex parte liberalitas effigiatur, largiter è cornu copiae numos effundens, cum inscriptione, *Liberalitas Augusta*; & ex altera, eadem liberalitas, stans ante Imperatorem in suggestu sedentem, ex eodemque cornu rivos aureos in sinum civium pariter effundens, cum inscriptione (n), *Locupletator orbis terrarum*.

12 Sed præstat in ejusdem virtutis exemplum, & commendationem Claudiani (x) carmina recensere, quibus cum Probum in pluribus, in hoc tamen præcipue collaudat, quod nihil suis negare, & se se ac sua ultro, vel non poscentibus, offerre soleret, sic inquit:

*Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,  
Nec tenebris damnavit opes, sed largior imbre  
Sueverat innumeras hominum ditare catervas;  
Quippè velut denso currentia munera nimbo  
Cernere semper erat Populis; undare Penates,  
Assiduos intrare inopes, remeare beatos  
Præcepta illa manus fluviis superabat Iberos.  
Aurea dona vomens.*

13 Cui Imperatori similis, aut superior exitit Cimon Miltiadis filius Atheniensis, qui ut præter Aristotelem, Plutarchum, Theophrastum, & Æmilium Probum, ex Theopompo Athenæus (y) enarrat, in agris & hortis suis, qui fructus custodirent, nullos esse permisit: ut è civibus, qui velent, ingressi, fructus legerent: & si quid egerent, quod in suis possessionibus proveniret, asportarentur collibisset. Præterea domum suam omnibus ille communem exhibebat, parata semper frugali cæna, quæ multis hominibus satis esset; ut tenuis fortunæ cives, & inopes accederent, & ingressi cœnarent. Illis etiam favebat, qui quotidie ab eo quicquam poscerent, & cum per civitatem ambularet, duo vel tres adolescentuli eum comitari solebant cum minutis nummulis, quibus imperabat, si quis obvius egeret, ei stipem erogarent.

14 Eum quoque tradunt, mortuis sepeliendis pecuniam contulisset, ac sæpe cum è civibus aliquem malè vestitum aspiceret, adolescentum cuiquam ex iis, qui sequebantur mandavisse, ut suam cum eo vestem commutaret. Quod Probus (z) his verbis recenset: *Sæpe cum aliquem offensum fortuna, videret minus benè vestitum, suum amiculum dedit. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit, multos locupletavit.*

15 Pisistratum quoque, scribit idem Athenæus (a), Cimonem sibi in prædictis exemplum posuisse, verum magnitudine virtutis multis eum partibus superasse. Et Jovianus Pontanus (b), post Xenophontem, memoriæ mandavit, Cyrum Persarum Regem, Regno potitum, nullum in suos liberalitatis genus prætermisisse, non pecunias, sed amicos, quibus ipse plurimum contulisse divitiarum, suos esse thesauros dicere solitum.

16 Cui similis Dionysius Senior apud Plutarchum (c), cum ad filium ingressus, conspexisset vasculorum aureorum, & argenteorum magnam vim, exclamans: *Non est (inquit) in te Regius animus, qui his poculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris*; sentiens absque civium benevolentia Regnum, nec parari, nec retineri, benevolentiam verò maximè liberalitate conciliari, per quam, ut ait Patricius (d), multa plerumque Reges agunt, quæ vi, & armis nequaquam assequerentur. Quod cum illo Proverbiorum (e) mirificè convenit: *Victoriam, & honorem adquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium*. Cassiodori (f) dum inquit: *Plerumque res parvæ plus prævalent præstare, quàm magnæ possunt obtinere divitiæ*. Et non minùs eleganter Ennodius (g), his verbis: *Est hæc claritas dominorum inserta natalibus, ut culmina sua dignatione subliment. Vultis quasi æquales tractare famulos, ut ab ipsa vobis per amorem conditione plus debeant.*

17 In quo tamen, ut & in aliis liberalibus largitionibus, quæ à Principibus solent in suos Aulicos, vel alios homines privatos conferri, de quibus jam supra (h) meminimus, illud semper observandum esse censemus, ne hæc in populares Beneficentia, temerariæ prodigalitatæ nomen incurrat, & luxuriantes Caligulas, Neronés, & alios similes sapiat, qui totas Imperii vires aliquando in ludis, & congiariis civibus exhibendis absument, quos deinde pluribus rapinis, & vix excogitatis fraudibus, atque exactioibus excoriabant. Monente quippè Cassiodoro (i): *Commodum debet esse cum modo. Nam si mensuram equalitatis excesserit, vim sui nominis non habebit*. Et sapienter, ut solet, Seneca (k): *Sunt (inquit) virtutibus vitia confinia, & perditis quoque, ac turpibus, recti similitudo*

(a) Spartian. in Adrian. Adolphus Ovo de numism. pag. 155. & 158.

(x) Claudian. in Probi Panegyrr.

(y) Athen. lib. 12.

(z) Æmil. Prob. in Cimone.

(a) Athenæus.

(b) Pontan. de Princip.

(c) Plutarc. in Apoph.

(d) Patric. lib. 2. de Regn.

(e) Proverb. 22. 9.

(f) Cassiod. lib. 1. epist. 45.

(g) Ennod. lib. 4. epist. 10.

(h) Supr. Embl. 78.

(i) Cassiod. lib. 9. epist. 19.

(k) Senec. epist. 120.

do est. Sic mentitur prodigium liberalem; cum plurimum intersit, utrum quis dare sciat, an servare nesciat. Multi sunt, qui non donant, sed projiciunt. Non ego voco liberalem, pecunia suæ iratum.

18 Circa quas tamen tam in publicum, quàm in privatum commodum Principum largitiones, illud tandem coronidis loco ipsos admonitos velim, ut earumdem hilaritatem, celeritate præstandi, auctorem reddere curent, & hoc pacto, recipientes, sibi magis gratos, & devinctos efficiant. Nam etsi non ignorem Xenophontis (l) doctrinam suo Cyro suadentis, tanto plus subditis adferre lætitiæ ejusmodi dona, quanto majore labore præcedente ad ea consequenda pervenerint. Quod & fortè sentit Athalaricus Rex, dum apud Cassiodorum (m) scripsit: *Habet hoc enim humana conditio, ut celerius adepta fastidio sint: dum omne pretiosum vilescit oblatum, & contra dulcis accipitur: quod sub aliqua dilatione præstat. Certius tamen est, semper atque rerum status, personarumvè conditio similes præstationes expostulat, haud quaquam comperendinari debere, quod vel idem Cassiodorus (n) agnovit, dum dixit: Omne siquidem datum celeritatis causa transit ad beneficium, & quod debitò redditur, tali gratia munus putatur. Et iterum: Apud conscientiam nostram læsionis genus est pro futura tardare: nec possumus estimare jucundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum. Differri non patimur merita fidelium, ut ad studia bonorum actuum provocemus vota cunctorum. Hoc est enim bona desideria suspendere, quod illicita perpetrare, &c. Cui loco consonant alia, quæ Ego alibi (o) adduxi, præsertim Ausonianum illud (p),*

*Si benè quid facias, facias citò: nam citò factum  
Cratum erit, ingratum gratia tarda facit.*

Quem prævit Ovidius similiter inquit (q):

*Gratiaque officio, quod mora tardat, abest.*

Et Seneca (r), qui in plurisque Aulicis hoc vitium notat, & reprehendit, ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba, non benè existimantes illud esse verissimum, quod ille Comicus dixit: *Tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis*. Quod argumentum latè, suum Trajanum commendans, prosequitur Plinius (s), suum Julianum Mamertinus, suum Gratianum Ausonius, suum Theodosium Pacatus, & pluribus similibus locis ex Martiali, Apulejo, Simmacho, & aliis, petitis, eruditè illustravit Janus Gruterus (t), inde liquere deducens, quàm justè Libertus Tiberii instet apud nescio quem in aula potentem, his versibus:

*Brevitatis nostræ præmium ut reddas peto  
Quod es pollicitus: exhibe votis fidem:  
Nam vita morti propior est cotidie:  
Et hoc minus veniet ad me muneris  
Quo plus consumet temporis dilatio.  
Si citò rem perages, usus fiet longior,  
Fruar diutius, si celerius capero.  
Languentis ævidum sunt aliqua reliquæ,  
Auxilio locus est: olim senio debilem  
Frustra adjuvare bonitas nitetur tua.  
Cum jam desierit esse beneficium utile,  
Et mors vicina flagitabit debitum.*

Quod adhuc magis premens D. Gregorius Nazianzenus (u): *Nemo quidem (inquit) misericordiæ officium interrumpat. Ne dixeris, rediens redi, & crastino die dabo tibi: ne quid inter propositum beneficium intercedat. Una enim Beneficentia est, quæ moram non admittit, &c.*



EM-

(l) Xenoph. in Cyropæd. lib. 7.

(m) Cassiod. lib. 9. epist. 24.

(n) Idem lib. 3. epist. 40. & lib. 11. epist. 21. & lib. 12.

epist. 8.

(o) Ego 2. tom. de Indiar. Jur. lib. 7. cap. 7. num. 81.

& seqq.

(p) Auson. epig. 82.

(q) Ovid. 3. Pont. 4.

(r) Senec. lib. 2. de benef. cap. 9. quem omnino vide.

(s) Plin. Jun. in Paneg. cap. 91.

(t) Gauter. in Florilog. tom. 3. et pag. 756. ad 769.

(u) Nazianz. orat. 16.

EMBLEMA LXXXVII  
IN REGES PRO TERRÆ PUNCTO CERTANTES.



O quota est Mundi Globus iste terræ  
Pars! O brevis sanè mica mundialis  
Machinæ! Claudens patula invidendo  
Corpora puncto.

Quid face, & ferro rapitis Tyranni  
Tam levem prædam: Petite altiozem  
Cælum habet terras; Homines habemus  
Æthera centrum.

COMMENTARIUS.

**I** On satis est Principes in his quæ Domi, Pacisque tempore agere debent, ut in superioribus fecimus, admonuisse; nisi & eosdem qualiter se in bellicis rebus, & quod dicunt in sagò, gerere debeant, pari cura, & disciplina ex gravissimorum quoque Scriptorum penetralibus commoneamus. Hoc etenim est, quod Imperatoriam Majestatem utroque tempore laudabilem reddit, ut jam suprâ (a) ex Justiniani, & aliorum verbis fusè probavimus.

**2** Et quamvis sint plures, qui post Ausonium Gallum (b), hanc togæ, ac sagi æquè valentem, ac scientem copulam raram appellent,

Consilii, belloque bonus, quæ copula rara est.

Quibus adsentiens Sallustius (c), scripsit: Difficillimum in primis est, & prælio strenuum esse, & bonum consilio. Et Claudianus (d) post Homerum:

Nonquam sincera bonorum  
Sors ulli concessa viro. Quem vultus honestat,  
Dedecorant mores: Animus quem pulchrior ornat,  
Corpus destituit. Bellis insignior ille,  
Sed pacem fœdat vitis. Hic publica felix,  
Sed privata minus. Partitum singula quemque  
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis;  
Hunc rigor, hunc pietas, illum solertia juris,  
Hunc soboles castique tori, &c.

**3** Reges tamen, qui ad summa nascuntur, in summa quæque, & rara etiam, contendere debent,

(a) Supr. Embl. 26.

(b) Auson. Gall. epist. 7.

(c) Sallust. in Jugurt.

(d) Claud. de laud. Stilicon. lib. 1.

&, ut idem Claudianus (e) subdit, pro virili curare, ut quæ Sparguntur in omnes,  
In se mixta fluant, & quæ divisa beatos  
Efficiunt, collecta teneant.

Alcibiadem Mecænati jungentes (f), quorum ille malus pace, bello bonus, hic ex adverso, bello malus, pace & consilio bonus fuisse perhibetur, aut verius Malium Theodorum imitantes, de quo idem ipse Claudianus (g) sic cecinit,

Similem, quem pertulit ætas,  
Consilio vel Marte virum.

Et laudatissimum Trajanum, quem Plinius Junior (h) ab eadem copula, his verbis extollit: Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace. Alius toga, quem non & arma honestarunt. Illi quæsitæ domi gloria, non in publico; hic in publico partam, domi perdidit. At Principi nostro quanta concordia, quantusque contentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit? &c.

**4** Lucanus (i) quoque, sive quisquis ille est, qui Panegyricum ad Pisonem scripsit, ita ipsum ab eadem conjunctione collaudat:

Nos quoque pacata Pisonem laude nitentem  
Exequamur avis: Nec enim si bella quierunt,  
Occidit & virtus; licet exercere togatæ  
Munera militiæ.

Et quidem rectissime omnes. Nam ut verbis Horatii (k) utar,

Alterius sic, altera poscit opem res, & conjurat amicè.

Et qui utramque conjungere despexerit Princeps, licet cælo partarum rerum cùmulum æquet, sedem adhuc stabilem, ut Valerius (l) inquit Maximus, non habebit.

**5** Sed illum tamen, si Prudens, si Christianus, si laudabilis esse velit, bella quidem scientem, non sitientem optamus, & hanc primam bellandi rationem discere, & altè animo suo figere cupimus, ut, quo fieri maxime possit, bellum excuset, neque inani levivè famæ gloria, aut famis suos limites protendendi, ut Raptor ille quondam orbis terrarum Alexander Macedo, ambitiosè ad illud inferendum procedat, sed ubi res poposcerit protegendi, & maturo consilio gaves injurias, quibus se lacesitum senserit, vindicandi, ut Isocrates Nicoclem monet his verbis: Bellicosus esto scientia rei militaris, sed apparatu pacificus, nihil præterius & æquum vindicando.

**6** Certè enim certum est, quod præclare M. Tullius (m) scripsit in id tantum suscipienda esse bella, ut sine injuria in pace vivatur, & secundum D. Augustini (n) sententiam: Apud veros Dei cultores illa tantum bella pacata esse, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceretur, & boni subleventur, & non esse delictum militare, sed propter prædam militare peccatum esse. Pacem habere, voluntatis est, Bellum autem debet esse necessitatis. Non enim Pax queritur, ut bellum exerceatur, sed bellum geritur ut pax acquiratur.

**7** Quò etiam tendit Terentianum illud (o),

Omnia prius experiri verbis, quam Armis sapientem decet.

Ciceronis (p): Nam cum duo sint genera disceptandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiori. Et Altiati (q) Emblemata hoc Disticho clausum:

Arma procul jaceant: fas sit tunc sumerè bellum  
Quando aliter Pacis non potes arte frui.

Et Cassiodori (r) præclarum documentum, quo monuit, Tunc utile solum esse ad arma concurrere, cum locum apud adversarium justitia non potest invenire. Quod ex Aristotele (s) sumptum videtur, ajente: Necessè esse arma domi necessario posita in armentario iis, qui Republicæ præsumt, tunc propter eos, qui detreclant Imperium, tum propter externos, qui injuriam conantur inferre. Adverò, secundum eundem D. Augustinum (t): Inferre bella finitimis, & inde in cetera procedere, & populos sibi non molestos, sola Regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?

**8** Ac proinde semper celebratum fuit nobile illud Thomæ Mori (u) Angli Martyris Epigramma, quo vesanam istam omnium ferè Regum in pluribus Regnis appetendis, & invadendis ambitionem, meritò carpit; cum vix, aut ne vix quidem ullus repertus fuerit, qui vel unum tantum rectè gubernare valuerit. Adeò ut verè scurra ille apud Vopiscum (x) dicere visus sit: Omnes bonos Principes uno annul-

(e) Idem eod. lib. 1.

(f) Plutarc. in Alcib. & in Mecan.

(g) Claud. de Malii Theod. Cons.

(h) Plin. Jun. in Panegyrr. ad Trojan.

(i) Lucan. ad P. son.

(k) Horat. in Arte Poetica.

(l) Valer. lib. 2. cap. 9. de Cons. Sever.

(m) Tull. lib. 1. offic.

(n) D. August. in lib. de verb. Dom. serm. 19. relatus in

cap. apud veros, & in cap. militare noli 23. quest. 1.

(o) Terent. in Comad.

(p) Cicero. ubi supr.

(q) Alciat. Embl. 177.

(r) Cassiod. lib. 3. epist. 1.

(s) Aristot. 7. pol. 9.

(t) D. Aug. de Civit. Dei, lib. 4. cap. 6.

(u) Morus in lib. Epigram.

(x) Vopisc. in Aurel.

nullo perscribi depingere posse. Mori carmen sic habet:

Regibus è multis Regnum cui sufficit unum.  
Vix quidem unus erit, si tamen unus erit.  
Regibus è multis Regnum benè qui regat unum,  
Vix quidem unus erit, si tamen unus erit.

9 Similem querelam latè prosequitur Erasmus (y), isdem Principibus consulens, ut Spartam, quam nacti fuerint, ornare ac meliorem reddere curent, hanc sententiam passim in eorum aulis inscribi oportere. Dolensque, quod cum eorum munus sit, esse debeat, Reipub. commodis providere, publicam tueri libertatem, alere pacem, excludere, quàm minimo suorum exitio, maleficia, dare operam ut integros & sanctos habeant Magistratus, Regumque, quod sortiti fuerint, parvum licet, splendidum citra aliorum detrimentum, & sine Finitimorum vexatione, sua sapientia, virtute, ac diligentia ornatus reddere, celebrius, & locupletius. In itamen omnes ferè jam devenerunt, ut neglecta, quæ contigit ditione, foris agant, aliis inhiant impiis, suos in summum adducant discrimen, funditusque exhauriant, seque pariter, & universam fortunam, alex belli subjiciant, ut unum, aut alterum oppidulum suis finibus addant.

10 Idem, non minùs verè, quàm dissertè alio (z) repit loco, inquit: *Se arbitrari, felices fore Respublicas, si Principes sanè Christianèque instituti, simul atque susceperint Regnum, pariter & animam Regno dignum suscipiant, publicis commodis metiantur onus omnia, ab omni tyrannidis specie velut à peste quadam abhorreant, ac pro se quisque certet, quò sortitus est Regni, non amplius, sed melius successorì tradere. Omnesque pariter admittantur, ne bellum illum sit, potius quàm ut bello vincant, neque sit illis opus copiis, magis quàm ut his rebus sint instructi: vacis artibus magni videri student, quæ consilii animique viribus constant.*

11 Et herclè, hanc fuisse, esseque debere præcipua Regum curam, prima quoque & antiqua ipsorum creandorum ratio satis ostendit, quæ secundum Justinum (a) in id tendebat, ut fines imperii tueri magis, quàm proferre satagerent, & intra suam cuique patriam Regna finiebantur. Quousque primus omnium Ninus Rex Assyriorum, veterem, & quasi vitum morem, nova Imperii cupidine mutavit, intulitque bella finitimis: & rudes adhuc ad resistendum populos, ad Lybiæ terminos usque perdomuit.

12 Quod etiam D. Isidorus (b) in suis originibus repit, licet Cassiodorus (c), ad Bellum, hujus Nini patrem, belli initium, & nomen, & ferri inventionem reducat, cui tantum sequentia secula detulerunt, ut Sceptra tenentes, juxta Livium, Tacitum, & Sallustium (d), omnia virorum fortium, id æquius, quod validius existiment, maximam gloriam in maximo Imperio, & in profunda ejus, & divitiarum libidine, ponere cæperint, suaque retinere, privata domus, de alienis certare Regiam laudem esse censuerint.

13 Superbia nimirum tumentes, quam, ut ait D. Thomas (e), Regnantium opulenta produxit. Cui secundum D. Bernardum (f), invidia comes est, quæ sola aliquid esse, sola regnare appetit, rivalem ferre non potest, & foras caritatem, & justitiam expellens, in bella prorumpit, & ut Ovidius (g) ait, elegantissimam ejus prosopographiam scribit:

Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,  
Sed videt ingratos, intabescitque videndo,  
Successus hominum; carpitque & arpitur una,  
Suppliciumque suum est.

14 Cui malo magis in dies magisque serpenti, ultra e, quæ post plures alios ex Politicis, novissimus Bernegerus (h) expendit, dum Ego cupio, ut capio medelam aliquam exhibere, nihil proprius habui, quàm hoc Emblemate duos istos, quos vides, Rees, pro terrestris globi imperio dimicantes, eisdem Regibus ob oculos ponere, qui eundem ipsum, quem possidere tantopere cupiunt, mutuo mucrone transverberant, nihil pensi habentes, quod etiam stoto illo potiri possent, quod nulli unquam contigit, nec contingere poterit, adhuc tamen agnoscere eberent, nihil planè, vel ut plurimum granum synapis, adeptos se esse, respectu ætherei, ac cælesti, in quem tutius satiusque esset, ut totis corporis, atque animi viribus, & indesinentibus cogitationibus niterentur.

15 Quod ex Plinio (i) desumpsi, qui postquam terræ globi dimensionem graphicè delineavit, ejusque exiguitatem exiguiorem esse ostendit, illis detracti partibus, quæ mari, fluminibus, incultisque montibus, aut paludibus, & variis aliis de causis desæe inhabitabilesque redduntur, ita concludit: *Hæc tot portiones terra, inò verò, ut plures tradidere Mundi punctus (neque enim est aliud terra*

(y) Erasm. in hoc Adag. pag. 638.  
(z) Idem in præfat. ad Sueton.  
(a) Justin. lib. 1. histor.  
(b) D. Isidor. lib. 18. etymol. cap. 1.  
(c) Cassiod. lib. 1. epist. 30.  
(d) Tacit. 15. Annal. cap. 1. Sallust. in Catil.

(e) Th. Thom. 2. 2. quest. 36.  
(f) D. Bernard. serm. 13. in Psalm. 15.  
(g) Ovid. 2. Metam.  
(h) Berneg. ad Tacit. domoc. Germ. quest. 2.  
(i) Plin. lib. 2. cap. 68.

in universo) hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes; hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella, etiam civilia, mutisque cædibus laxiorem facimus terram. Et ut publicos gentium furores transeam, hæc in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo affodimus, ut qui latissimè rura metatus fuerit, utraque fines exegerit accolat quanta terrarum parte gaudent? Vel cum ad mensuram avaritiæ suæ præpagaverit, quam tandem portionem ejus defunctus obtineat?

16 Plinium in eadem consideratione præiisse videtur Seneca (k), inde animos à terrestribus & caducis, nobisque ad tempus tantum concessi, ad cælestia æternaque erigens, & statim in rem nostram ita subjiciens: *Hæc est illud Punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni dividitur. O quàm ridiculi sunt mortalium termini: ultra Istrum Dacus non exeat, Strimo Thracas includat. Punctum est istud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo Regna disponitis: minima, etiam, cum illis utrinque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spacia sunt, in quorum possessionem animus admittitur, &c.*

17 Qui & ipse alibi, (l) vel ob id etiam, ita partam potentiam, & opulentiam, parum appetendum esse, quòd fortunæ imperio subjaceat, & in perpetuo penè fluxu sit, his elegantissimis verbis ostendit: *Omnia ista, quæ vos tumidos, & supra humana elatos, oblivisci cogunt nostræ fragilitatis; quæ ferreis claustris armati, quæ ex alieno sanguine rapta, vestro defenditis; propter quæ classes cruentaturas maria deducitis, propter quæ cassatis urbes, ignari quantum telorum in adversos fortuna comparet: propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitia, collegii fræderibus, inter contententes duos terrarum orbis elisus est. Non sunt vestra, in depositi causa sunt, jam tamque ad alium Dominum spectantia, aut hostis illa, aut hostilis animi successor invadent.*

18 Cum Plinio quoque, & Seneca sentit Macrobius, (m) omnem habitabilem terram extentæ chlamydi similem faciens, quòd ejus exiguitatem manifestaret, cum chlamys, secundum Budæum, & alios, (n) propriè vestem militarem, pallio brevior, significet. Et melius ac pius Boetius, (o) ex eadem exiguitate Reges aliosque privatos irridens, qui toto, quod ajunt, cælo aberrantes, cæli speciosa, spaciosaque culmina non attendunt, & deviam à recto cynosuram imaginantes, ad minutula hæc, & caduca Mundi Regna, suam aciem, vel acum, tantis laboribus, ac conatibus dirigunt, & familiare habent, ut quarum rerum minor est fructus, earum & cupiditas, & delectatio sit major.

19 Sed nemo melius Plinii mentem, & Emblematis nostri intentum expressit, quàm ille utinam ita pius atque elegans, vates, qui dixit:

Percipias rerum sit quantula portio, verbis  
Quam nos magnificis in Regna superba secamus.  
Partimur ferro, & mercamur sanguine fuso.  
Ducimus exiguæ glebæ de parte triumphos.  
Illa etenim moles, per se spectata seorsim,  
Magna quidem: si cum stellati tegmine cæli  
Componas, puncti instar erit, vel seminis, unde  
Condidit innumeros Senior Gargetius Orbes, &c.  
O Pudor, d' stolidi præceps vesania voti:  
Quantula pars rerum est, in qua se gloria tollit;  
Ira fremit, metus examinat, dolor urit, egestas  
Cogit opes ferro, insidiis, flamma, atque veneno?  
Scilicet & trepido fervent humana tumultu.

20 Unde ansam quoque sumpsit vetus Socratis apothegma, (p) quo rideri semper à diis homines dixit, cum vana hæc cupiditatem inspicunt. Et meritò Schoonhovius (q) in quodam Emblemate de eisdem ob hæc crepundia rixantibus, ita dicere potuit.

Rixantur pueri, si quis lapides neceve  
Auferat, & semper obvia queque stupent;  
Nos etiam pueri, qui donec vita superstes,  
Propter opes luteas digladiamur humi.

21 Quos etiam Talpis, non ineptius, similis facere possumus, non solum ob cæcitatem huic animali connaturalem, quæ Adagio Talpa cæcor, locum fecit. Verùm ea etiam de causa, ut historiæ naturalis Auctores observant, (r) quòd terræ semper inhians, præ dolore ejus, quod sibi excavandum, vel occupandum restat, emori solet. Prout his quoque Regibus accidit, qui nihil se possidere putant, nisi quod alii possident, suum quomodolibet faciant, nulla justì, vel injusti

(k) Senec. in præfat. ad lib. nat. quest.  
(l) Idem lib. 6. de benef. cap. 3.  
(m) Macrobi. in somn. Scip.  
(n) Bud. Baifig.  
(o) Boet.  
(p) Plutarc. in apoph.  
(q) Schoonhov. Embl. 27.  
(r) Erasm. in hoc Adag. pag. 111. ex Plin. & aliis.

ratione habita, sui cordis aviditatem, vel toto ipso orbe minimè satiantes, cum tamen ipsorum ipsorum cor (ut bene quidam Politicus (s) dixit) vel ad Falconem satiantium sufficiens non sit.

22 Cujus inexplebilis aviditatis exemplum Alexander satis exhibuit, qui puer adhuc cum plures esse mundos, Anaxagoram disserentem, audiret & se nondum unius Dominum, seu prædonem factum videret, illachrimavit, & causam Juvenali (t) præbuit, ut sic de eo dicere poterit.

Unus Pelleo Juveni non sufficit Orbis,  
Aestuat infelix angusto limite mundi,  
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho.

Et alteri (u).

Unus Pelleo Juveni non sufficit Orbis,  
O Juvenis, mundo mens tibi major erat.  
Uni Pelæus Juvenis non sufficit Orbi,  
Magnus Alexander, sed tamen Orbe minor.

30 Aliud quoque non minus nobile, in Romanis, ejusdem Alexandri in orbis direptione, & vastatione imitatoribus, & successoribus, Cornelius Tacitus, sub Britanni Ducis persona, adeo elegantiori oratione commemorat, ut Justus Lipsius, (x) illam suis notis illustrans, dicere audeat, sensu suo, nullam aliam pulchriorem, prudentiorem, dissertiorem, arguitiorem in omni Romana lingua reperiri posse, quæ in id tandem tendit, ut nihil illorum aviditati tutum, iniviumve fuisse, jure, vel injuria, demonstret.

31 Prout & insigni carmine ostendit Petronius (y), quod jam supra in alio Emblemate (z) retuli, & in hoc aptius transferri potest, notans tot bella, ad solam gulam, & exitialem luxum profecisse, & post D. Augustinum (a), & Cyprianum (b), Noster D. Antonius de Guevara (c), ingentia damna & scelera hujus Tyrannicæ direptionis graviter questus, & omnibus, qui eis utuntur, divinum judicium minatus, quod numquam inultas, aut durabiles ejusmodi occupationes esse permittit, & talionis legem severè in alienorum raptores exercet, ut in mutatione, & lapsu quatuor Antiquarum Monarchiarum vidimus contigisse. Etenim ut præter alios habet Claudianus (d).

Sic malè sublimes fregit spartanus Athenas,  
Atque idem Thebis cecidit. Sic Medus ademit  
Assyrio; Medoque tulit moderamina Perses  
Subject Persen Macedo, cessurus, & ipse  
Romanis, &c.

32 Qua de causa Politici omnes Auctores (e), & qui piè, ac prudenter Principibus consulunt, mediocrem Imperii magnitudinem magis optabilem, & durabilem monent, nec tam eos inspicere debere, quousque suos fines extendere possint, quam utrum, & qualiter, tum antiquos, tum noviter partos, juste gubernare valeant.

Teste enim Lucano (f), suorum Romanorum exemplo perdocto.  
In se magna ruunt, lætisque hunc Numina rebus,  
Crescendi posuere modum.

33 Et ut Albutius apud Senecam (g) Rhetorem, inquit, Aliquis etiam magnitudinis modus esse debet. Non procedit ultra spacia sua cælum, Maria intra terminos suos non agitantur, quidquid ad summum venit, incremento non relinquit locum. Alter etiam Seneca (h), melius adhuc, alio loco sic habet. O quam magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi transmare cupiunt mittere? felicissimosque se judicant, si multas Provincias obtinent, & novas veteribus adjungant ignari, quod sit illud ingens, paratumque Regnum. Imperare sibi, maximum imperium est, &c.

34 Quod consilium, Valerio (i), & Justino (k) tradentibus, ita Scipionis Africani junioris animo sedit, ut Romæ censorem agens, solemne carmen ex publicis tabulis emendari præceperit, quo Dii immortales rogari solebant, ut populi Romani res meliores, amplioresque facerent; satis esse inquam, quod præcarentur, ut bonas, ac magnas, quas jam possidebant, perpetuo incolumes conservarent. Prudenterque sentiens, ut subdit Valerius (l), Tunc incrementum Romano Imperio

(i) Anton. Perez epist. 38.  
(f) Juven. Satyr. 10. Ego 1. tom. de Indiar. Jur. lib. 1. cap. 4. num. 4.  
(g) Oven. lib. 2. Epigr. 78.  
(x) Tacit. in Agricol. & ibi Lipsius in notis.  
(y) Petr. in Satyr. ibi: Orbem jam totum, &c.  
(z) Supr. Embl. 39.  
(a) Guevar. in horol. Princ. lib. 3. cap. 3. & 14. & 31.  
(b) August. de Civit. Dei, lib. 4. cap. 6.  
(c) Cyprian. epist. ad Donatum.  
(d) Claudian. in Stilic. lib. 3.  
(e) D. Thom. de regim. Princ. lib. 2. cap. fin. Pelagian.

de planct. eccles. art. 62. conc. 2. Cassan. in Catal. 5. part. consid. 37. Soto de just. & jur. lib. 4. quest. 4. art. 2. Boter. de rar. stat. lib. 1. Richterius in Axiom. hist. 128. & in econ. 203. Grut. Bocalin. Admiratus, Parut. & plures alii apud Besold. in disc. de increm. Imper. cap. 3. novis. N. Saaved. Empr. ex pag. 435. Livius lib. 23. Strab. lib. 7.  
(f) Lucan. Phar.  
(g) Senec. in Saator.  
(h) Idem Senec. epist. 113. in fine.  
(i) Valer. lib. 4. cap. 1. §. 10.  
(k) Justin. lib. 25.  
(l) Valer. Maxim. ubi supr.

rio petendum fuisse, cum intra septimum lapidem triumphi quærebantur: majorem autem totius orbis terrarum partem possidenti, ut avidum esset quicquam ultrò appetere, ita abundè felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret.

35 Idem quoque sensisse, & exemplo sua docuisse videtur Alcædas XII. Rex Babyloniorum, qui (ut Berosus, & alii (m) testantur) otium, & tranquillitatem vitæ sequutus, stultum esse dicebat, multis fatigari laboribus, & variis implicari curis, amplificandi Regni causa; quoniam ea res, ad nullam hominum salutem, & utilitatem, sed ad detrimentum potius, virtutemque pertineret. Et de Philippo Macedonum Rege Plutarchus (n) commemorat, quod in palæstra prolapsus, quum surgens in pulvere vidisset corporis vestigium, Pape, inquit, ut minimam terram partem natura sortiti, orbem appetimus universum. Quod dictum, si animo filii ejus hæsisset, angustias ejusdem Orbis, ut modò diximus, non doleat.

36 Digna etiam relatu est Antiochi hac in parte animi moderatio, cujus post Ciceronem (o), Valerius (p) Maxim. meminit, qui ultra Taurum montem Imperii finibus summotus, cum Asiam Provinciam, vicinasque ei gentes amisisset, gratias agere Pop. Rom. non dissimulanter tulit, quòd nimis magna procuracione liberatus, modicis Regni terminis uteretur.

37 Habemus etiam ejusdem doctrinæ locupletissimum assertorem. D. Augustinum (q), qui consideratis injustitiis, & iniquitatibus, quæ in acquirendis novis ditionibus interveniunt, & difficultatibus, expensis, ac laboribus, qui eis conservandis, & gubernandis se se offerunt, dubitat. Ne forte non pertineat ad bonos viros, gaudere de Regni latitudine, felicioresque res humanas fore futuras, si omnia regna parva essent, concordia vicinitate lætancia. Idem in sua Utopia Thomas Morus (r), & in sua Argente Joannes Barclajus (s), fictis quidem, sed prudenter adstructis historiis, & exemplis ostendunt, damna, quæ ex plurium Regnorum cumulatione sequi solent, considerantes, non solum ubi per bella, verum, & ubi per inatrimonialia, aut aliis legiimistitulis acquiruntur. Et Erasmus (t), optimo simili, aut navis, inquit, quædam majores sunt, quam aut gubernari possint, ita difficillimum est, ditionem ultra modum latam, feliciter gubernare. Id verò multò difficilius, si ditionis portiones longis intervallis distinctæ sint.

38 Alphonsus quoque I. Neap. Rex, apud Antonium Panormitanum (u) agebat, olim (ut fabulantur Poetæ) inter Jovem, Neptunum, & Plutonium omnium rerum partitionem trifariam esse factam, & horum unumquemque sua sorte contentum esse, nec occupare aliena: Inter homines, neminem sua portione contentum, nec ullam partitionem esse stabilem, sed omnium Principum ambitionem, & regnandi numquam satiantem libidinem, semper, quo jure quæve in injuria, novas ditiones ante partis adjiciat, sedulo cogitare.

39 Et Paulus Paruta (x) de sua Veneta Republica agens, unam hanc assignat causam, cur diu ea salva, ac florens steterit, nempe quia ditioni potius suæ conservandæ studuit, quam ampliandæ. In quo omnes qui bene sentiunt, ut majorem difficultatem, ita quoque majorem laudem constituunt, illud, quod alicubi dixit Livius (y), sequentes. Excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qui civem regant, quam qua superent bostes, & Lucius Florus (z), difficilium est provincias retinere, quam facere. Et Augustus Cæsar apud Plutarchum (a), qui audiens, quòd Alexander natus annos triginta duos, postquam plerasque mundi regiones peragrarat, dubitasset, quid in reliquum vitæ tempus esset facturus, demirabatur, si Alexander non judicasset, majus opus bene gubernare partem Imperium, quam amplam ditionem comparasse.

40 Paruta Rodolphus I. Imperator Austriacæ Augustissimæ Familiæ dignissimus Plastes, Nicolao Reusnero (b) testante, cuidam monenti Regni pomeria ampliaret, prudenter respondit: Melius est bene imperare, quam Imperium ampliare, quia juxta illud vulgatum Ovidii (c):

Non minor est virtus quam quærere, parta tueri.  
Casus inest illic, hic subest artis opus.

Et ut ait Sallustius (d), Majus dedecus est parta amittere, quam omnino non paravisse. Quibus adsentiens Cassiodorus (e), sic habet: Non minor in conservandis rebus, quam in inveniendis adhibenda cautela est, quia de Initiis prædicatio debetur invento, de custodiis autem acquiritur laudata perfectio.

41 Et in nostris terminis insignis quidam Politicus (f), bene Principes docet, quòd ambitio laudabilis & optima est, bene gubernare provincias suas, non cum sanguine & periculo occupa-

(m) Beros. Methast. Cassiod. Jorn. & alii.  
(n) Plutarc. in apophth.  
(o) Cicer. in orat. pro Dejot.  
(p) Valer. dict. lib. 4. cap. 1. in fine. Plutarc. in vit.  
(q) D. August. lib. 4. de Civit. Dei, cap. 15.  
(r) Thom. Morus in Utop. lib. 1. fol. 36.  
(s) Barclaj. in Argente. lib. 4. pag. 979.  
(t) Eras. cent. 9. epist. 95.  
(u) Panorm. de dict. & fact. Reg. Alf. lib. 4. cap. 30.  
(x) Paruta in discurs. Politicis.  
(y) Livius.  
(z) Lucius Florus.  
(a) Plutarc. in apophth. Rom.  
(b) Reusner. in Rodolph.  
(c) Ovid. & alii plur. ap. Me. 2. tom. lib. 2. cap. 30. num. 78. & sequenti.  
(d) Sallust. in Jugurt.  
(e) Cassiod. lib. 5. epist. 25.  
(f) La Nove discurs. Polit. 7.

re ea, quæ sunt aliorum. Et alter Italo sermone, sic eisdem suadet (g): *Che la soverbia ambition loro, Sfogassero nel far acquisto de la segnalata gloria di ben governar, i popoli che Dio ha conceduti loro, non con lo empio mezzo de gl' incendii, delle rapine, & del' effusion di copia grande di sanguine humano, affectar gli stati altrui.*

42 Ut omittant punitionem Divinam, quam non raro, qui secus faciunt, perpeti solent, nempe, ut dum alienis invident, propria perditum eam. Quod satis Cures Piezeningorum Princeps apud Livium (b), & Strabonem (i) admonuit, dum in cranio Suetislaï à se ob hanc causam interfecti, quo ad potandum uti consuevit, has literas posuit: *Hic querendo aliena, propria amisit.* Et in idem tendit sapiens illa Oratio Demosthenis contra Aristogitonem, & cujusdam Scythæ apud Quintum Curtium (k), quibus ostenditur, multos sæpè numero dum majora concupiverunt, ea quoque, quæ jam obtinebant, amississe, & ex culmine ad quod contendebant, unà cum ipsis ramis, quos apprehenderant, decidisse. Quibus conveniens Dion is. Halicarnas. (l) turpe esse ducebat: *Viro Principi, ob rerum alienarum cupiditatem bellum non necessarium sustinere, in quo se & suas fortunas in periculum sit adactus.* Et Procopius (m): *Id longè esse præstantius, sua ut quisque securè possideat, quàm dum aliena nimium appetit, de necessariis admodum rebus periclitetur.* Certè enim certum est, quod à Valerio Maximo (n) docemur, eam demum potentiam tuam esse, quæ viribus suis modum imponit; & à Cornelio Tacito (o), quânto plus aliquis adeptus sit, tantò magis in lubrico esse. Quam in rem plura alia adijcere supersedeo, quæ hanc nostram assertionem illustrare possent, quoniam apud magnum illum Lipsium, Amiratium, Bodinum, Boterum, Keckermanum, & novissimum Nicolaum Benergerum (p), videri poterunt.

43 Ergo, ut verbis Sapientiæ (q) concludam, *Præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis Nationum;* Et quibus Dei munere datum est, plura simul Regna & ditionis justis & legitimis titulis obtinere, ut in gloriosis Hispaniæ nostræ Regibus contigisse videmus, & Phil. Mainoldus (r), Borrellus (s), Zipæus (t), & alii latius ostendunt, eas majori cura, prudentia & dexteritate gubernare cõentur, ita ut conservari, & coalescere, & si fieri possit eisdem linguis, legibus, ac moribus temperari, mutisque inter se nexibus copulari atque ubi res poposcerit, aliæ aliis auxilium præbere.

44 Quod per unionis medium consequi solet, cujus latam utilemque materiam plures Auctores (u) doctè pertractant, simul notantes, in nostra Hispaniæ Monarchia diversis temporibus diversos tractatus intervenisse circa unionem Comitatus Flandriæ, Regni Aragoniæ, Lusitaniæ, & aliorum, quæ in ipsam incorporata sunt. Quod si (ut oportuit) peractum fuisset, aliquibus difficultatibus, quæ hanc utilissimam resolutionem retardarunt, spretis vel superatis, fortè damna & defectiones, quas hodie patimur, non lugeremus. Etenim ut benè post Polibium (x) & alios (y), de simili unione agens, tradit Alber. Gentilis (z), impossibilia quæ videntur tempore facilissima redduntur: nec ulla re utili abstinendum est, propter apparentem difficultatem, & quàm multa fieri non posse, priusquam facta sunt, judicantur.




EM.

- (g) Traj. Boccacini. centur. 2. Rag. 6.  
 (b) Livius lib. 23.  
 (i) Strab. lib. 7.  
 (k) Curtius lib. 7. cap. 8.  
 (l) Dionys. Halic. lib. 8.  
 (m) Procop. lib. 2. de bello Goth.  
 (n) Valer. Maxim. lib. 4. cap. 1.  
 (o) Tacit. 1. an. cap. 72.  
 (p) Bernerg. ex Lips. & aliis, quart. 189.  
 (q) Sapient. 6. 3.

- (r) Mainol. de tit. Reg. Phil.  
 (s) Borrel. de prest. Reg. Cath.  
 (t) Zipæus de Magistr. pag. 428.  
 (u) Bod. Gasp. Facius, Harnis. & alii apud Besoldum. de increm. Imp. cap. 5. per tot. Zipæus contra Cassan. lib. 1. cap. 8. & seqq. Connestagus in hist. Regn. Portug.  
 (x) Polyb. lib. 11.  
 (y) Plin. lib. 7. cap. 1. Senec. epist. 104. Ego 2. tom. lib. 1. cap. 16. num. 55. & 56.  
 (z) Albert. Gentil. in disp. de union. Britan. & Scotia.

EMBLEMA LXXXVIII.  
 INGLORIUM, PRO SOLA GLORIA CERTAMEN.



*In Fastum cristata micat gens murice caro  
 Tincta, nec in plumas, lex jubet, arma ruant.  
 Sic tumidi Reges, Majestatisque superbæ,  
 Prælia conglomerant, bellaque fastus agit.  
 Jura vetant, fovet ira globos: est crista corona,  
 Rexque refert Gallum, dum furor arma regit.*

## COMMENTARIUS.

**I** T si verum sit Taciti (a) documentum, Principibus insatiabiliter parandam prosperam sui memoriam, & præcipua rerum ad famam dirigenda: Rectèque Bodinus (b), ex sententia Aristotelis, Principem instituendum putet, ut solida veraque laude pascatur, in eaque sensim adolescat, qui si gloria (inquit) non erit contentus, in tyrannum evadet. Hancque ipsam famam & gloriam multi ex eisdem Regibus & Principibus sibi solam ex bellis, quæ fortiter feliciterque gesserunt, sumere & reservare voluerint, ut Dentati, Æmili, Catonis, Themistoclis, & aliorum insignium Ducum, seu Imperatorum exemplis Philippus Camerarius (c) & Bejerlinchius (d) observant, inter quos Regem nostrum Alfonsum IX. enumerant, qui nihil præter gloriam victoriæ in partitionem immensæ prædæ celebris belli, quod vocant *de las Navas de Tolosa*, sumere voluit.

2 Hos tamen de fama & gloria, quæ ex præliis justè legitimeque iniit, aut susceptis, & fortiter debellatis, comparari solet, accipi debet: nam si superbè atque ambitiosè, ob solam levem hanc gloriæ auram & cupiditatem, Princeps in bellum erumpat, seque ac suos tumidè, ac temerè incertæ Martis alex committat, & si suis votis Fortuna respondeat, totumque orbem suo Imperio subjiciat, inglorius potiùs, quàm gloriosus evadet, & non tam victoris, quàm rap-

- (a) Tacit. 4. an.  
 (b) Bodin. in meth. hist. cap. 6.  
 (c) Camer. 1. subces. cap. 78.

- (d) Bejerlinc. verb. Bellum, pag. 115. & verb. Præda, pag. 567. & seq.